



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 28. Legatio Nivernensis Ducis Franciæ Oratoris ad Summum Pontificem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII.

A. C. 1608.

§. XXVIII.

*Legatio Nivernensis Ducis Franciæ  
Oratoris ad summum Pontificem.**Rigault con-  
tin. Thuan.  
l. I. Serran.  
hist. Reg.  
Gall.*

**A**lincurtio Comite, qui Romæ apud Pontificem legatione fungebatur, in Gallias reverso Carolus Gonzaga Nivernus Dux a Rege Christianissimo Romanam decernebatur, ut Pontifici, Sanctæque Sedi, nomine suæ Majestatis familiare obsequium exhiberet. Hic igitur in omnibus Italiæ urbibus, per quas transibat, singulari honorum testificatione exceptus sexto ab urbe Romana lapide plurimos primæ Nobilitatis Viros obviam habuit, haud procul autem a Ponte - mollo a quatuor Cardinalibus ad Franciæ Legati ædes deductus, die vigesima sexta Novembris tanta pompa & magnificentia, quanta ab hominum memoria non fuit visa, in urbem ingressus est, comitantibus eum innumeris pene Proceribus qua Romanis, qua Gallicis. Postquam vero Legatus ad Divi Petri Basilicam pervenerat, ad Rucellense Palatium conducebatur, belli tormentis undique in publicæ lætitiæ testificationem reboantibus: Biduo post Dux equo vestus ad Vaticanum Palatium summo Pontifici obsequii honorarium exsolaturus contendit, eodem ap-  
paratu

paratu & pompa, comitantibus eum Borg-  
hesio Cardinale, ceterisque Proceribus.  
Demum ad Papam folio suo insidentem  
ductus, pro more dato pedum osculo  
Regias mandati sibi commissi literas  
eidem tradebat, quo sedere jusso Mau-  
ritius Bressius latino sermone legationis  
hujus causam explicabat, fusius sinceram  
demissamque Regis observantiam erga  
suam Sanctitatem deprædicans, om-  
nemque felicitatem eidem apprecans.  
Huic Strozio Duce Pontificis nomine  
respondente, Nivernius Dux rursus sese  
ad summi Pontificis pedes prosternens  
Apostolicam recepit benedictionem, una-  
cum toto comitatu suo domum reversus.

Sæc. XVII.  
A. C. 1608.

§. XXIX.

*Varia decreta Facultatis Theologicae  
Parisiensis.*

Ineunte hoc anno Sacra Facultas Pa-  
risiensis habito conventu die secunda  
Januarii Officium Syndici, quo se Rol-  
landus Hebertus abdicabat, Edmundo  
Richerio contulit, qui statim decima  
quinta ejusdem Mensis petiit, ut prima  
Doctoratus laurea initiandi, quamvis  
absentes, Parisiensibus articulis interpo-  
sita etiam juramenti Religione subscri-  
berent. Die autem prima Februarii  
statutum est, ut numerus Baccalaureo-  
rum

*Argentre  
collect. judic.  
tom. 2.*